Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 819

Quelle:
Copyright:

Explicit tractatus de Contractibus Magistri Hainrici De Hassia. Tractatum hunc, in quo multum agit *Henricus* de *Judaeorum* cum *Christianis* convictu et commercio, in *Append.* Opp. *Gersonis Coloniae* 1484. f. extare cum *Fabricio suprac.* testatur *Oudinus* T. III. *col.* 1261. ubi tamen pro *ordine sensuum* lege *origine censuum.* Ceterum prolixior haec Nostri commentatio confundenda non est cum breviori *ad Cives Wiennenses*, de qua *Lambecius* L. II. p. 125. et nos alibi. Id, quod jam *Pezius* monuit *Diss. Isag. in T. I. Thes. Anecd.* p. 79.

XX. *fol.* 102. p. 2. *Incipit quedam expositio Symboli apostolorum facta per eundem*, id est, *Henricum de Hassia.* Initium Prooemii est: *Primum quod est necessarium cuilibet christiano, est fides* &c. Ipsius Operis: *Credo in Deum. Inter ea, que debent credere christiani* &c. Ultima: *quod ascendit in celum et venturus est ad iudicium. Amen. Explicit expositio super Credonem.* Meminere hujus Expositionis ex *Cat. Lipsi. Joach. Felleri Oudinus* T. III. *col.* 1260. *Fabricius* T. III. L. 8. *Pezius suprac.* ex *Trithemio*, et *Codice Bibl. Tirnstein.* in *Austria*, ubi tamen et alia extare dicitur hoc initio: *Fiuniculus triplex* &c. et: *Circa scalam per quam* &c. pariter *Henrico* tributa.

XXI. *fol.* 110. *Incipit quedam epistola Magistri Hainrici de Hassia de quadam pictura.* Inscribitur: *Reuerendo Domino ac genere preclaro Domino Jo. de eberstleyn camerario Maguntino suus ubique clericus humillimus Heynricus langenstayn dictus de Hassia post mundana celestia, post marte sollicitudinem Marie sororis requiem.* Incipit: *Benigno vestre caritatis affectu ad exiguum* &c. Occasione picturarum, quae in aula Praelati hujus visebantur, Vir pius rerum caducarum vices et brevis aevi memoriam ingerit. Depictae autem erant ruris deliciae, hastiludia, pugnae, thermae *Wisbadenses*, et *festum*, ut adpellat Noster, ibidem celebrari solitum, *Bacchi* orgiis non absimile, qua re fortassis ad *foedus Leoninum* alludit, quod anno 1379. inter Viros nobiles ibidem coaluit. Versiculos passim adspergit, et inter alia sequentes:

Hora novissima, tempora pessima sunt, vigilemus.
Ecce minaciter imminet arbiter ille supremus &c.

qui sunt initium Trium Librorum *Bernardi Morlanensis de contemptu Mundi* stupendo mechanismo pertextorum, et pluries excusorum. Scripta fuit *Epistola*, nobis in *Capita* X. divisa, post an. 1380. quo anno *Johanni Eberstleinio* Camerarii munus obtigit, quo ad an. 1387. emortualem functus est. Definit in *Carmen*, cujus versus singuli terminantur: *Quid inde.*

Si